

**Panegyryn medicam ... indicit : Meletemata psychiastica. X. Amentiae et fictae et falso suspectae specimen. [Cum vita candidati C. Roemisch] / [Johann Christian August Heinroth].**

**Contributors**

Heinroth, Johann Christian August, 1773-1843.

**Publication/Creation**

[Leipzig] : [Staritz], [1843]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ku4pur95>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

28150/p

426

**D. IO. CHRIST. AUG. HEINROTH**

**THERAPIAE PSYCHICAE PROFESSOR PUBL. ORD.**

**ORDINIS MEDICORUM**

**IN UNIVERSITATE LIPSIENSI**

**H. T.**

**DECANUS ET PROCANCELLARIUS**

**PANEGYRIN MEDICAM**

**IN**

**AUDITORIO IURIDICO**

**DIE VII. M. APRILIS A. R. S. MDCCCXLIII.**

**CELEBRANDAM**

**INDICIT.**



---

*Meletemata psychiatrica.*

*X. Amentiae et fictae et falso suspectae specimen.*

D. IO. CHRIST. AUG. HEINROTH

THEATRALE PSYCHICAE PROFESSOR PUBL. ORD.

ORDINIS MEDICORUM

IN UNIVERSITATE LIPSIE NSI

DECANUS ET PROCANCELLARIUS

PANEGYRICI MEDICAM



AUDITORIO IURIDICO

DIE VII. M. APRILIS A. M. MDCCLXIII.

ERLEBANDAM

INDIGIT.

Meletemata pag. 412.

X. Amstelredam et Victor et J. de Vries.



## X.

### *Amentiae et fictae et falso suspectae specimen.*

Non id tantum spectat psychiatria, ut amentiam certis notis cognoscat et cognitam certa via ac ratione sanare studeat, sed etiam id ei incumbit officii, ut, ubi vel ficta sit, vel falso suspecta, quod utrumque haud raro accidit, id internoscat et argumentis non dubiis demonstret. Etenim non infrequens est vel eorum, qui officiis quibusdam supersedere cupiunt, ignavia, vel astutia eorum, qui poenas propter delicta a se avertere gestiunt, ut, cum sciant amentes aequae emancipari a muneribus civilibus, atque a poenis luendis eximi, in amentia ficta ob alterutram causam aufugium anquirant. Sunt etiam, qui etsi se ipsi mentis impotes non habeant, tamen ab aliis habeantur, qui sive agatur de officiis explendis, sive de commissis facinoribus, in illis impotentiam, in his excusationem deprehendere sibi videantur. Sed sive iudices ii sint legitimi, sive aestimatores fortuiti, neutris ius competit de amentia vel vera, vel ficta, vel suspecta decernendi. Neque assentiri possum ERNESTO PLATNERO, qui in quaestionibus medicinae forensis \*) asseverat, amentiae perspicuae signa ipsa quoque perspicua esse, quippe quae ducantur a memoriae infirmitate ac perturbatione, a delira et inordinata successione idearum, a sermonibus inconcinnis atque ineptis, a factis stulte ac temere sine proposito consilio et fine susceptis,

---

\*) ed. CHOULANT. XVI. p. 129.



denique, quod caput rei sit, ab ignoratione aut oblivione omnino rerum earum, quibus vitae tum naturalis tum civilis modus et actio contineatur. Nimirum possunt haec omnia fingi quoque, aut, quod peius etiam est, falso suspici praepostero iudicio. At enim vero utrum vera amentia adsit, an ficta aut falso suspecta, id neque iurisprudencia potest, vel munita psychologiae fulcro, neque medicina somatica, multo minus vero sensus sic dictus communis expiscari. Jurisprudencia enim per se sanum hominem et sui potentem ponit; psychologia pura physiologiam animae exhibet eius morbos non curantem; medicina somatica principiis caret ad iudicandos morbos psychicos; sensus denique communis naturalis quidem, et propter id erroneus non est, sed alienus a notitia amentiae, quippe quae praeternaturalis hominis status est, in quo aestimando, si id negotium sensus communis in se suscipit, hac sua ignorantia haud raro egregie fallitur. Una est psychiatria, utpote perscrutans principia et naturam amentiae, quae possit de dubia amentia rationem certam reddere. Et habet quidem, ut in prima prolusione ostensum est, in ἀνελευθερία certissimum insaniae documentum et principium diagnosticum, quod ubicunque desideratur, aut fictus morbus est aut falso suspectus. Cuius utriusque rei in uno eodemque homine iam exemplum exhibebimus. Sed praemittenda est caussa, ob quam iudicium de statu mentis in illo homine ad Ordinem Nostrum delatum est.

Senex sexagenarius erat in pago Saxonico possessor praedii, quod cupiebat emtione cedere filio, qui ideo ex alio pago, in quo uxorem sibi duxerat iuvenem, in patriam domum se retulit. Sed displicuit nurui negotiatio ob nimium a socero statutum pretium; quare reverti ad pristinum domicilium exoptavit. Interim ante negotium expeditum ignis erupit in praedii horreo, cuius incendio



mox universum aedificium conflagratum est. Accidit id aestivo tempore et fervidissima die, qua ad meridiem ex nube tonitruali fulgur splendidissimum serpentino cursu descendere versus horreum illud visum est compluribus pagi incolis. Unde iactu fulminis incensum praedium fuisse communis exstitit opinio. At contrariam fovit sententiam senex praedii possessor. Qui quidem ignem in domo subiectum fuisse ab inquilino sartore contendit pertinaciter. Degebat autem ille sartor in domuncula adstructa reliquo aedificio prope horreum, et familiarissime vivebat non solum cum domini filio, olim condiscipulo suo, sed etiam, licet ipse maritus, cum eius uxore. Incendii tamen suspicionem nemo in eum habebat praeter senem aedis dominum. At enim vero duobus annis praeterlapsis incendii auctorem se ipse professus est primo coram uxore et amicis, deinceps coram iudice, quem sponte petiit culpaе suae poenam luere paratus. Quod omnium movit incolarum pagi mirationem et paene stuporem, quippe quibus fulmine incensum aedificium fuisse persuasissimum erat. Quare, cum apud omnes non recte sanae mentis haberetur sartor, ex phantasiae illusionem, nec vero ex re in facto posita ortam esse illam confessionem rati sunt. At id ille pertinaciter negavit, et diu intolerabile sibi fuisse factum divino numini tributum, quod suum fuerit facinus, asseveravit. Quare poenam se malle humani iudicii temporaneam, quam aeternam divini pati. Ita enim iuberi se a sceleris patrati conscientia, quae tranquillo animo iam dudum locum non reliquerit. Patefecit quoque causam incendii, nimirum in caritate vicinae positam, cuius se misertum sit centies conquestae de soceri iniquitate et de mariti imminente ruina. Cui si incendio praedii prospiceret, officium se in amicam collaturum sperasse haud exiguum. Quare quantumvis conscientia repugnaverit et ipse diu multumque dubitaverit de



facinore peragendo, quod quam scelestum sit et gravi poena sancitum haud ignoraverit, tamen se tandem cessisse servandae amicae desiderio, et quod diu mente agitaverat perfecisse eodem die dieique tempore, quo fulgur illud conspectum fuerat a vicinia. Descripsit porro modum, quo incendium fecerit sic, ut fomitem in pyrotheca paratum accenderet et iuxta poneret ligna igniaria, itaque exstructam pyrothecam apertamque immitteret tecto horrei vicini stramineo. Quo facto se expectasse enarravit in domuncula flammae eruptionem, sed incassum. Quare post quadrantem horae, quum neque ignis neque fumus e tecto surgeret, se iterum ad locum accessisse, in quo pyrothecam collocaverat, et fomitem in ea exstinctum deprehendisse. Ergo se denuo inflammasse fomitem et propius traxisse ligna igniaria. Iam redivisse in domunculam et in lectulo recubuisse, cepisse tamen consilium retrahendae pyrothecae, si vel nunc flamma non erupisset: se enim iam facti fere poenituisse. Interim se paululum obdormivisse, excitatum vero repente fuisse clamoribus: flagrare nimirum horreum. Iam se rerum suarum quantum potuerit, collegisse et deportasse in coemeterium ibique otiose flammae progressum observasse. Sed inde ab hoc ipso die se torsum esse facinoris memoria, quae tandem ad confitendum crimen eum compulerit. Igitur culpa rei in aprico erat. Haesitavit tamen iudicium in infligenda poena, quandoquidem nemo non reum putabat mentis impotem, quid quod huius impotentiae caussa, ex testimonio legitimo, dimissus erat e militia, quam aliquot abhinc annis sustinuerat. Quare iudicium cum a praefecto militum, cui subditus homo fuerat, et a medico militari, tum a praetore pagano accuratiorem eius notitiam expetivit. Ac primum quidem medicus militaris renunciavit hominem, quum stipendia faceret, per duos annos sanum fuisse, postea vero, dum per plurimum



temporis sartori militari ad manus esset, sine ulla caussa materiali prodidisse animum tristem ac demissum, tum inter inconcinnos et ineptos sermones mox in melancholiam incidisse, quam, post varias scrutationes, e re amatoria ortam esse compertum sit. Ergo traditum fuisse valetudinario militari, ibique post decem septimanas, cum restitutus videretur, deinceps non iterum ad sartoris opificium adhibitum, sed confestim missum ad stationem. Qua inita statim postridie deprehendisse eum subcenturiones aliquos gladio nudato ictus in aëre ferentem atque insani ad instar clamitantem. Ergo denuo in hospitium militare receptum esse, in quo quum post aliquot menses ad pristinam valetudinem non rediisset, propter mentis imbecillitatem e militia fuisse dimissum. Quam relationem praefectus militum non solum affirmavit, sed etiam auxit adnotatione potuum spirituosorum fuisse amantem hominem, sed exhortationibus cessisse et dereliquisse nimiam potandi proclivitatem. Denique praetor paganus retulit reum a parentibus religiose esse educatum scholamque legitime frequentasse usque ad vitae annum decimum quartum, ex quo sartoris opificium didicerit et tirocinio absolutus exercuerit apud complures magistros, quibus, ut omnino omnibus, qui eum noverint, acceptissimus fuerit ob indolis et morum bonitatem. Anno aetatis circiter vigesimo extractum cum fuisse ad militiam, ex qua post quatuor annos dimissus et ad pagum reversus sit atque ad sartoris operam. Iam vero ineptos interdum et inconcinnos sermones edidisse, ita ut a cognatis et familiaribus vel imbecillus mente vel adeo mente captus haberetur, quandoquidem nimis modo hilarem se, modo tristem gesserit, modo absone et confuse confabulatus sit, opusque sartorium vel corruperit vel infectum reliquerit. Caeterum valde proclivem eum fuisse ad potum et saepe ebrium.



Quibus acceptis significationibus iudicium iussit medicum forensem explorare reum de mentis statu, quem talem ille deprehendit, ut paranoia fixa laborare reum testaretur. At non erant argumenta, quibus sententiam suam comprobare studeret, eiusmodi, ut iudici omnino probarentur. Igitur ad Ordinem Nostrum caussa delata est, de qua ego in consessu Nostro deliberativo sic eensi, ut amentiam rei partim fictam, partim falso suspectam iudicarem. Erant autem sententiae meae argumenta petita ex indole rei, qualem commentarii iudiciales eam luculenter demonstratam habebant, atque ex animi eius naturali propensione. Sanus erat corpore atque mente ante quam vigesimo aetatis anno ad militiam traheretur. At vero ad militiam neque natus erat, neque educatus homo placidus atque mitis idemque propter morum suavitatem omnibus carus atque acceptus. Hic nimirum cum pagum et quaestum, tum amicos relinquere coactus est, et, quod magni momenti est, amicam, quae ipsa familiaritatem cum eo non denegabat, quippe quod serius etiam, et peracto ab eo facinore, eum visitaret adeoque alimenta ei apportaret. Quid mirum, si invisae ei erat militia tanto magis, quanto diutius eius severitas a domestica voluptate eum retinebat. Igitur, post biennium, stipendiorum coactorum impatientia ita crevit, ut deiectissimus evaderet et tristissimus et mente alienus, i. e. in aliena loca sibi cara conversus. Quae mentis alienatio nimirum naturalis pro morbosa perperam habita est et homo creditus valetudinario. Igitur medicum non caussa quidem tristitiae latuit, nempe amor clandestinus, sed verus mentis status: quandoquidem neque tristitia, neque animi omnino perturbatio illico ad insaniam referenda est. Num vero vitio homini vertendum, si in morbo scilicet militiae vacatio clam ei arridebat et spes redditus in locum natalem? Sed haec spes eum fefellit: nam sanitati restitutus ex sententia medici, illico ad



novam militiam vocatus est. En vero iam ad desperationem actum hominem et fictae amentiae principium. Nam quae in statione agebat absona atque insana omni amentiae caussa carebant adeoque simplicis delirii, quippe quod neque corporis morbus eum invaserat, neque ulla ei acciderat, vel a rixis et ira, vel a terrore et metu, vel ab infortunio repentino animi perturbatio. Ergo ficta insania erat, et cur? ut tandem a militia liberaretur. Et sane compos voti ac desiderii factus est. Nam postquam iterum in valetutinario curae medici traditus, post aliquot menses signa valetudinis nulla ederet, propter mentis scilicet imbecillitatem dimissus est. Sed ne finxerat quidem mentem imbecillem, sed primo melancholiae, deinde maniae falso suspectus fuerat, finxerat tamen amentiam. Ergo ad pagum et quaestum et amores rediit. Iam vero vel domi de insania falso suspectus est a cognatis et familiaribus. Nam quae absurde et loqui et agere videbatur, ea sane mentis turbatae signa fuerunt, non vero alienatae, quippe quae erat secreto intenta facinoris perficiendi studiis ad sublevandam amicam. Neque incendii patrandi consilium insanum erat: nam praedito deflagrato non poterat amicae maritus emtionem sibi nocivam absolvere, quod quidem cummaxime in votis erat uxori. Ergo incendium meditatus et machinatus inquietissimus quidem erat et turbato animo propter conscientiae opprobrationes multa confuse et dicebat et agebat. Sed erat occupatus alienis potius negotiis quam operariis, ergo ad haec non attentus, sed districtus ita, ut aliis alienatus mente necessario videretur. Ad quod accessit frequens, ut conscientiam consopiret et animum roboraret ad facinus, spirituosorum potatio et inde nata ebrietas, quae absone dictorum et actorum auxit confusionem ideoque confirmavit aliorum de eius insania iudicium. At vero quantum mens vere alienata ei non fuerit, comprobavit sceleris non



ἀνελευθερώς, sed spontaneo consilio et deliberato animo suscepti perfectio, eiusdemque sincera et perspicua confessio. E quibus omnibus colligendum est amentiae verae excusationem in hoc reo locum habere non posse, sed fuisse hanc scilicet vel amentiam vel mentis imbecillitatem tum fictam tum falso suspectam.

Iam mihi commendandus est Candidatus ornatissimus

C A R O L U S R O E M I S C H,

C H E M N I T I E N S I S

M E D I C I N A E B A C C A L A U R E U S,

qui de vitae suae ac studiorum ratione haec scripsit:

*Natus sum Chemnitii anno h. s. decimo septimo die mensis Aprilis nono, patre CAROLO AUGUSTO ROEMISCH, med. et chirurg. doctore, Ord. Sax. Virt. Civ. Equite, et matre FRIEDERICA, e gente ESCHKIANA, quos parentes dilectissimos Deus O. M. ad senectutem incolumem laetamque perducere velit, pio gratoque animo precor. Quum primam iam eruditionem inter parietes domesticos accepissem, lyceum, quod tunc Chemnitii floruit, per quatuor annos frequentavi, tirocinium in literarum doctrina absolvens. Anno h. s. tricesimo primo numero alumnorum scholae regiae, quod est Missniae, adscriptus sum. Die autem decimo mensis Maii a. h. s. tricesimo septimo, Viro S. R. D. SCHILLING, tunc temporis Rectore Magnifico, inter cives Universitatis literarum almae Lipsiensis Academicos receptus sum; ubi iam Ill. HEINROTHIUM in Anthropologia, Exc. PETERMANNIUM in botanica et mineralogia, in anatomia et physiologia Exc. WEBERUM et BOCKIUM, in physicis*



*Exc. FECHNERUM et LEHMANNUM, Exc. KUEHNium in chemia, et theoretica et practica, praeceptores habui. Examine pro baccalaureatu d. m. Augusti octavo a. h. s. quadragesimo superato, Exc. BRAUNium de materia medica, Exc. WENDLERUM de medicina forensi, Exc. GUENTHERUM de chirurgia, Exc. HASSIUM de anatomia pathologica et de arte auscultatoria, Exc. CARUM de fascias imponendi arte, Illustr. HEINROTHIUM de psychiatria, Illustr. IOERGIIUM de obstetricia arte disserentes audiui. Praeterea institutum regium clinicum sub Illustr. CLARI, Exc. WENDLERI et GUENTHERI auspiciis florens, et obstetricium Illustr. IOERGIO praeside rite frequentavi, neque minus institutum clinicum in St. Georgio nosocomio Exc. RADIO duce et policlinicum Exc. CERUTTIO et BRAUNIO praesidibus. Denique instituto ophthalmiatrico Exc. RITTERICHIO praeside interfui.*

*Omnibus his praeceptoribus, quorum immensa in me sunt merita, ob benevolentiam perpetuam quam maximas ago gratias, eorumque memoriam pia grataque mente semper conservabo.*

*Examen, quod rigorosum dicitur, die decimo octavo m. Novembris a. p. sustinui.*

---

*In his tentaminibus talem se praestitit, ut in theoretico quidem censura tertia, in practico vero secunda cum laude ei tribueretur. Quare concessimus ei veniam petendi summi apud Ordinem Nostrum honoris, hoc pacto, ut disputationem publicam proprio Marte conscriptam contra dissentientes publice defenderet. Scripsit igitur libellum, cui titulus est: *De insania potatorum*, quem d. VII. Mens. Aprilis h. a. publice defendet contra adversarios, me ipso*



moderatore. Certamine finito ego, Cancellarii vicarii munere functurus, veniam ei solemni ritu tribuam Nostri Ordinis honores summos rite capessendi. Quam solemnitatem academicam ut **RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICUS, CELSISSIMUS PRINCEPS, HUIUS LITERARUM UNIVERSITATIS PROCERES ET FAUTORES GRAVISSIMI**, denique **COMMILITONES ORNATISSIMI** sua praesentia celebrent, humanissime rogo.

**P. P. Dom. Laetare A. MDCCCXLIII.**

**L I P S I A E,**

**TYPIS STARITZII, TYPOGR. ACAD.**